BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SIGNVM BVRGHESIVM EX ANTIQVITATE PETITVM

DEDICAT

INTER MVSICOS CONCENTVS

MICHAEL ANGELVS. TONTVS ROMANVS

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

SCIPIONI CARD. BVRGHESIO

Cuius auſpicijs de vniuerſa Theologia publice diſſeruit

In Collegio Romano Societatis IESV.

ROMAE

Typis Iacob

Mascardi

M DC XVII

Superioru

permiſsu

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſsimo P. Mag. Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſgerens.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Donatus Rom. Mag. & Reuerendiſs. P. F. Hyacinthi Petronij Rom. Sacri Palatij Apoſt. Magiſtri Socius, Ord. Præd.

M. 676 n. 9

ILLVSTRISS. PRINCIPI
SCIPIONI
CARD. BVRGHESIO.

MICHAEL ANGELVS TONTVS ROM. F.

REM narro tibi, Cardinalis Ampliſſime, quam niſi petijſſem ab hiſtoria, vix adulationis impar magnis tuis virtutibus vitium ſubterfugerem. Auguſtus Cæſar in Curia, quam ad Forum ſuum adiunxit, triumphaliumq. virorum ſtatuis exornauit eo conſilio (quemadmodum edicto profeſſus eſt) vt ad illorum exemplar & ipſe dum viueret, & inſequentium ætatum Principes exigerentur à ciuibus; inter alia ornamenta, parieti Tabulam impreſſit à Senatu Populoq. Romano tot ſæculis noua ſemper admiratione ſpectatam (vt Plinius tradit in hiſtoria) probatamq. eò potiſsimùm, quòd in illa *Ariſtippum filium Glaucioni patri grandi natu ſeni perſimilem, ſalua ætatis differentia: & ſuperuolantem Aquilam Draconem complexam, immenſa artis potentia pictor Philochares expreſſiſſet*. Nimirum haud facilè quis neget interdum, Magnarum euenta rerum, in antiquitatum monumentis, occulta veluti præſagitione poſteris adumbrari. Planè ſic eſt. Adumbratum ego te, SCIPIO BVRGHESI, te inquam in ea veteri Tabula contemplor Auunculo tuo Pontificum Maximo PAVLO QVINTO, per magna vir-

tutum imitamenta, in ætate diſsimili quàm ſimillimum. Et ne mihi aberraret in hac interpretatione animus; ſubiectum Aquilæ Draconem, hoc eſt, ipſum Veſtræ Familiæ Signum tanto antè conformatum video, in eamq. ſuſpicionem proinde venio, Ex illo Philocharis opere traductum fortè in Vos eſſe Gentilitium iſtud Inſigne, quod non veſter modò Populus Romanus, ſed omnes omninò nationes, noua ſemper veneratione plauſuq. ſuſpiciant. Ego certè auſpicatiſſimæ quondam Tabulæ inſtaurare memoriam, ac præfigere poſitionibus hiſce meis ad aliquam mihi beneuolentiæ partem indè conciliandam arbitratus ſum conſentaneum Veſtræ in omnes homines beneficentiæ, gratum Romanorum ergà Burgheſium nomen obſeruantię, opportunum denique neceſsitati meæ. Nec tu potes, Princeps humaniſsime, Domi tuæ tamquam in Curia longè quàm illa Cæſaris auguſtiore, inter iſtæc tam multa vetuſtatis monumenta, eruditæq. inſtrumenta voluptatis, hanc quoque veteris optimiq. Artificis Tabulam Veſtræ Familiæ debitam non admittere.

ARGVMENTVM ODARVM.

Roma è veterum monumentis
Signum ſui Principis exſcribenti
Colores offerunt

ASTRAEA, MAIESTAS, ET IRIS,
Tria magna BVRGHESII Regni,
Quod diù Superi ſoſpitent,
Ornamenta. RO-

ROMA
ODE. I

PONE victrices galeas, & enſem,
Lucido & ſqualens adamante pectus
Roma Regnorum Dea, ſubditiq.
Arbitra mundi.

Dextra, cui luſus Acies dedere,
Otio ludat, ſociaq. pacis
Arte, nec fuſo rubeat cruenti
Militis oſtro.

Pralijs audax, & amica plagis,
Otij vindex, & amica paci
Fiat, ac ſolers amet innocenti
Murice tingi.

Liquidas Coi Iuuenis per artes
Dexteram inuictam iuuat ire; quamuis
Illa regnorum, Imperijq. magni
Sceptra miniſtret.
Pinge (neu vinci patiare victrix)
Pinge BVRGHESI Volucres, auitæ
Indices laudis, memoresq. lapſi
Cæſaris aui.
Ille Romani pater, atque cuſtos
Imperi, prudens venientis aui
Alteram regni faciem Quirinæ
Affore genti
Præcinit, picta referens tabella
Alites Regni monumenta magni,
Alites rixæ immemores, amicas
Nobilis Oti.

Ille

Ille complexus geminæ Volucris,
Quas patrum virtus inimicat, ille
Nodus eſt rixæ impatiens, amorum eſt
Blanda voluptas.
Ergo BVRGHESI *bona ſigna Cæſar,*
Omen & Regni dedit. Imperate
Romulæ genti Proceres ter ampli,
Terq. beati.
Tuq. BVRGHESI *(Dea ſic precatur*
Vrbium) felix Populo Quirini
Imperes, PAVLO Q. *minor, ſed ipſo*
Cæſare maior.

82

IRIS

ODE. II

IRI nuncia pacis,

Luce picta rubenti,

Picta rore diſcolori, picta nubibus

corallinis:

Regum Roma potentum

Altrix, orbis ocellus,

Aetherisq. cura maior, æquorisq. maior arbitra,

Cælo te vocat alto;

Adſis huc leuis, adſis

Purpurata, picturata diſcoloribus nitoribus.

His nitoribus aucta

Pinget Roma Volucres,

Squammeumq. pinget Anguem, Alitemq. di- (lectum Ioui.

vi

Si tu nuncia pacis,
Si tu fœderis author;
Pace læta Romulea pacis huc nitores aduehe.
Si BVRGHESIA pacem
Vbi ſæcla laborant;
Quin colores allabores pacis, Iri pacis nuncia?
Si virgata renides,
Muricata, virensq.
Circinata diſcolori nube, picta cæleſti croco;
Non te belliger ille,
Ille ſæuus inaurat,
Quem cruenta barbarorum caſtra, quem truces tu-
bæ iuuant:
Sed te pacifer ille,
Ille mitis inaurat
Phœbus artifex nitorum, pacis ille nimborum (faber.

Ergo

Ergo filia pacis,

Ergo nuncia pacis,

Iri, quid moraris, Iri linque nubes, linque ſidera

Roma non caret aſtris,

Cælo eſt æmula; fulget

Sole picta pulchriori, ſiderumq. nobilium choro.

PAVLO Principe ſidus

Non quit viſere maius,

Siue luce cum Sol ardet, ſiue cũ niteſcit Cinthia.

Stellas adde minores,

Adde ſidera mille,

Adde purpura Quirina picturata Romæ lumi- (na.

Hæc internitet aſtra

PAVLO proximus Heros,

Inter ignes vt minores alba promicat Phœbi ſoror.

MA-

MAIESTAS

ODE. III

MAGNORVM ò genitrix Ducum,
Heroumq. Parens, almaq. Cæſarum
Altrix, quam trabeæ iuuant,
Regaleſq. truces in populos minæ:
O vis mollior imperi,
Quam Virtus niueo ſemper obit gradu,
Virtutiſq. præit comes
Incorruptus Honos; quam ſequitur Timor
Pallens ore, labans genu,
Et ſecurus Amor, cui micat ingenis
Riſus Vere ſerenior.
Te ſi cura tenet principis Vrbium

Roma,

Romæ, cuius ad Imperi
Faſces laniferi Seres, & vltimæ
Mundi non habitabilis
Conuenere Plagæ; SCIPIADAE decus
Si te mollius allicit,
Quem complexa diù ſideribus parem.
Reddis, quem Charites alunt,
Altrices Charites moris amabilis.
Oſtro ſanguineo nitens,
Candentesq. humeros oblita murice,
Quo Regum ſaturæ nitent
Vndantes vario flumine cyclades.
Huc Iris comes aduola,
Quà ponit liquidis Roma coloribus
BVRGHESI famulas Aues,
Nactas Imperij ſyrma potentius,

Obli-

Oblitas famularier

Seu flauæ Cereri, ſeu tumido Ioui.

Oſtro Principis imbui

Sacrum Stemma decet; muneris hoc tui eſt.

Ergo funde benignior

Succos purpureos, debita munera

Genti Romuleæ, nouis

Magni S C I P I A D AE *debita laudibus.*

ASTRAEA

ASTRAEA

ODE . IV

VLTIMA fer opes Aſtræa tuas,
Aurei comes aurea
Sæculi, vaga ſidera
Ditans luce recenti:
Poſt quàm Terris decolor ætas
Bella ſeuit, & abnuit
Pacis otia, geſtiens
Riuos ire cruoris.
Tu SCIPIADAE pectus inauras,
Axe tu gelido influis
Digna Temporis aurei
Regna, Principe PAVLO.

Vnde

Vnde Quirites aurea ducunt
Sæcla, nec metuunt tubas,
Tænari mala murmura,
Cladis omina diræ.
Tu flauentis luce metalli
Cæruliq. coloribus
Diues ætheris, hoſpita
Linque ſidera velox.
Nobilis opifex Roma laboris
His coloribus exprimet
Imperi dociles Aues,
Fortunataq. Signa.
Quod ſi ſupero labier axe,
Et per aera liquidum
Vadere inuolucris times,
Ibis Alite vecta.

Age

Age BVRGHESI famularis Auis,
Vade Solis ad igneos
Tramites, vbi flammeo
Conſtat Virgo Leoni.
Gratum flaui Ganimedis onus
Crede pondus amabile
Virginis: propera, imperat
Noſtri Iuppiter orbis.
Sic terrigenis inuecta plagis
Radet aera nubilum
Virgo, nec vitreo dabit
Labens nomina ponto.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.